

AD BENEVOLVM LECTOREM



Iste parumper Benigne Lector; noli quaeso me, operis huiusce, quod tibi Lydij Lapidis inscriptione libens exhibeo, facie dumtaxat inspecta, censurare; quasi verò nomine non minùs, quam re ipsa Pygmæus, respectiue saltem ad materiam, quam differendam suscepi, memet Gigantum agminibus immittere præsumpserim, quodue illi penetrare reformidant, me peruadere potuisse crediderim. Quaeso, inquit, gradum contrahe, & quoduisque nondum producta partis iura perpendas, iudiciũ suspende: sæpè quippe numero falli consueuerunt, qui ex facie præcisè iudicare nequaquam dubitarunt. Quid profectò mirum, si magnalia gesta Gigantum seu dispersa colligere, seu forsan obumbrata, resècatis caliginibus, quas tempus inducere potuit, in pristinum lumen Pygmæus reuocare contendat? An ne hoc quoque eius vires excedere dixeris? Ipsũ ne propterea censura dignũ existimabis? At sanè velim id vnũ consideres, adhuc nimirum puerulos prouectorum sudoribus productos flores, eosque, inter sese disstos, atque dispersos, colligere, necnon in venustissimos, & gratos fasciculos eleganter posse componere. Equidem me, vti Minimum inter Minimos Pygmæum vltro cõfiteor; nihilominùs tamen, si in perdifficili de Præscientia, necnon Prædestinatione, & Reprobatione materia, Augustini, & Angelici Doctoris, inter Theologicos Corypheos, vnde quaque maximorum, à proprijs discerptas sedibus: Sacrè insuper Scripturæ, & Conciliorum in proprijs pariter contextuum Codicibus tibi proponam percurrendas, atque perlegendas doctrinas, gratas potiùs habiturum, quàm censura dignas à te fore meas hæc elucubrationes existimãdas duxerim: id profero: perlege igitur attentè, meque fidum sponsorem experieris. Diũ viue, & vale.

